

APPENDICES

INSTRUMENTUM PACIS

inter

Sacras Regias Majestates
Sveciæ & Poloniæ

ab una,

Serenis. Regiam Majestatem
ac
Electoralem Serenitatem
Saxoniæ

ab altera parte,

CONCLUSÆ
in Pago Alt-Rannsteda, prope Lipsiam,
Die ^{xiv.} _{xxiv.} Mensis Septembris MDCCVI.

LIPSIAE, Apud Joh. Theodorum Ecetium. 55

A. 1.

Articuli Pacis Altranstadiensis

Altranstadiae, 24 IX 1706.

Carolus XII rex Suetiae per commissarios suos Carolum Piper et Olaum Hermelinum ac Stanislaus I rex Poloniae per Ioannem Stanislaum Jabłonowski et Alexandrum Paulum Sapieha ex una, et Fridericus Augustus rex et elector Saxoniae per Antonium Albertum de Imhoff et Georgium Ernestum Pfingsten ex altera partibus, inter se convenerunt, ut: I. pax et concordia constitueretur, neque alter alteri aliquid hostile in posterum moliretur; II. damnorum acceptorum compensatio nulla vicissim exigeretur; III. Fridericus Augustus regno Poloniae renuntiaret idque Stanislao I [Leszczyński] cederet, retento nonnisi simplici regis titulo; IV. et intra 6 hebdomadas subditos suos Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae iuramento fidelitatis solveret ac liberaret; V. omnia foedera et pacta, ab electore Saxoniae conclusa et sancita, praesertim cum imperatore Moscoviae, abrogarentur et irrita declararentur; VI. similiter abrogarentur omnia decreta et statuta senatus et comitiorum Poloniae, post 5 / 15 II 1704 facta; VII. regi Stanislao diademata aliaque regni insignia et documenta, forte in Saxoniam asportata, restituerentur; VIII. Iacobo Sobieski e custodia liberato omnis debita pecunia, post exhibitionem chirographi, redderetur; IX. omnes Poloni et Lithuanii, qui in Saxonia vel alibi captivi detinentur, pristinae libertati restituerentur; Augustus praeterea liberationem epi Posnaniensis a summo pontifice impetraret; X. similiter omnes Sueci a Saxonibus et Saxones a Suecis detenti utrinque liberarentur; XI. omnes Sueci vel ex Suecia oriundi, praecipue Ioannes Reinholdus Patkul, regi Sueciae extraderentur; XII. similiter captivi Moscovitici, in Saxonia detenti, regi Sueciae extraderentur; XIII. omnia instrumenta bellica Suecis adempta eis restituerentur; XIV. baro Görtz pristino honori restitueretur; XV. Suecis ius competenteret in tota Saxonia tributa exigendi et stationes habendi; XVI. arces Cracoviensis et Ticocinensis copiis Saxonis evacuarentur; XVII. Sueci similiter Lipsia et Viteberga exirent; XVIII. omnes hostilitates in Saxonia post 21 dies a die conclusionis foederis, in Polonia vero et Lithuania post eius conclusionem, cessarent; XIX. iuxta statuta pacis Vestphalicae in Saxonia nulla religionis mutatio vel innovatio fieret, neque templa etc. catholicis traderentur; XX. Sueci et Saxones contra omnem aggressorem sibi vicissim auxilio essent; XXI. huius pacis fideiussores imperator, regina Angliae et ordines Foederati Belgii essent, regi autem Sueciae numerum fideiussorum augendi ius competenteret; XXII. subscripta pacis exemplaria intra 6 hebdomadas ratihaberentur et per utriusque partis commissarios commutarentur. In articulo separato conventum est, ut - etiamsi fideiussiones in art. XXI

nominatae intra semestre non omnes obtineri possent - tractatus huius validitati nihil detraheretur.

Ed. originalis: exemplar in AV, F.Albani 188 f. 55r-61v (probabiliter ab ipso Piazza transmissum, quod testari videntur signa ad articulos 6 et 19 in margine addita, de quibus v. N. 65).

Ed. in versione Germanica: H. Kretschmar, *Der Friedensschluss von Altranstädt 1706/07, in: Um die polnische Krone*, red. J. Kalisch, J. Gierowski, Berlin 1962, p. 175-183.

Instrumentum Pacis inter Sacras Regias Maiestates Sueciae et Poloniae ab una et Serenissimam Regiam Maiestatem ac Electoralem Serenitatem Saxoniae ab altera parte, conclusae in Pago Alt-Rannsteda, prope Lipsiam, Die XIV (XXIV) Mensis Septembris MDCCVI.

[56r] INSTRUMENTUM PACIS.

In Nomine Sacro-Sanctae Trinitatis.

Cum, Polonicum tenente Sceptrum Ser.mo ac Potentissimo Principe ac Domino, D.no FRIDERICO AUGUSTO, Rege ac Electore Saxoniae, grave ortum esset bellum, quod, anno iam septimo continuatum, non modo Regna Sueciae ac Poloniae, sed etiam Electoratum Saxoniae variis molestiis, turbis et incommodis cumulaverat, secuta est interim ea rerum commutatio, ut Respublica Polona, in partes scissa, Ser.mum ac Potentissimum Principem ac Dominum, D.num STANISLAUM Primum, Regem sibi eligeret, adque solium Eiusdem tuendum cum Ser.mo ac Potentissimo Principe ac Domino, D.no CAROLO XII Rege Sueciae, societatem iniret. Quo facto quamvis accensa belli flamma vehementius exardescere, latiusque se diffundere videretur, singulari tamen Dei bonitate accidit, ut belligerantes Principes ac Reges serium pacis desiderium animis conciperent atque ad restinguendum funestum huius belli incendium paria studia et vota adferrent, constituti igitur sunt ac plena potestate muniti, qui operi tam salutari manus admoveverent, et quidem a Sacra Regia [56v] Maiestate Sueciae, Ill.mi. Excell.mi ac Nobilissimi viri, D.nus Comes *Carolus Piper*, Senator Regius, Supremus Aulae Praefectus, Consiliarius Cancellariae Regiae et Academiae Upsaliensis Cancellarius, ut et Dominus *Olaus Hermelinus*, Secretarius Status; et a Sacra Regia Maiestate Poloniae, sicut foederato Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, Ill.mi, Excell.mi ac Nobilissimi D.nus *Johannes Stanislaus Comes Jablonovski*, Palatinus et Generalis terrarum Russiae, ut et D.nus *Alexander Paulus Comes Sapieha*, Supremus Magni Ducatus Lithuaniae Marescallus; a parte vero Sacrae Regiae Maiestatis et Electoralis Serenitatis Ill.mi ac Nobilissimi D.nus *Antonius Albrechtus liber Baro de Imhoff*, Consiliarius Intimus et Camerae Praeses, ut et D.nus *Georgius Ernestus Pfingsten*, Refe-

rendarius Intimus; qui in castris Suedicis congressi, tabulis plenae potentiae rite commutatis, rem eo deduxerunt, ut, favente Supremo Numine, diu optata pax restitueretur, inque mutuas amicitiae leges consentiretur, tenore sequenti:

Articulus I.

Sit pax perpetua, firma et sincera amicitia inter Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, D.num CAROLUM XII, Dei gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae, Ducem Scaniae, Esthoniae, Livoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stettini, Pomeraniae, Cassubiae et Vandaliae, Principem Rugiae, Dominum Ingriae et Wismariae, necnon Comitem Palatinum Rheni, Bavariae, Juliaci, Cliviae et Montium Ducem etc. etc., eiusque Successores ac posteros Reges, Regnum Sueciae et subiectas illi Regiones ac Provincias, necnon foederatum Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, Ser.mum ac Potentissimum Principem ac Dominum, [57r] D.num STANISLAUM Primum, Dei gratia Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitia, Kyoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czernicoviaeque etc. etc., eiusque Successores ac posteros Reges Poloniae, magnosque Duces Lithuaniae, atque subiectas illis Regiones ac Provincias, ab una parte; et ab altera inter Ser.mum ac Potentissimum Principem ac Dominum D.num FRIDERICUM AUGUSTUM, Dei gratia Regem, Ducem haereditarium Saxoniae, Sacri Romani Imperii Archi-Mareschallum et Electorem, Landgravium Thuringiae, Marchionem Misniae necnon superioris et inferioris Lusatiae, Burggravium Magdeburgensem etc. etc., eiusque haeredes ac successores.

Adeo ut, omissa omni hostilitate, altera pars alteri nihil damni, clam aut palam, directe aut indirecte, inferat, aut per suos aliosve inferri faciat, nihil moliatur in alterius partis diminutionem et incommodum, non hostibus alterius quocunque praetextu auxilia praestet, nec foedera cum aliis huic pacificationi adversa feriat. Sed obstricta sit utraque pars ea posthac quaerere ac agere, quae alteri honori sint atque emolumento, fidamque vicinitatem et mutuam amicitiam intemperate colere ac observare.

Art[iculus] II.

Sit damnorum quoque omnium, quae utraque pars paciscentium occasione huius belli passa est, aeterna oblivio. Neutri partium liceat ea, quae anteacta sunt, exprobrare, aut via facti vel specie iuris persecui, nec ob sumptus huic bello impensos damnaque accepta ab altera satisfactionem expetere.

§ 1. Privatis nulla competit actio ratione eorum, quae tempore belli fisco addicta sunt, salvo tamen vigore articuli sexti infra sequentis.

[57v] Art[iculus] III.

Ut radix funesti huius belli ac inimicitiarum omnium penitus extirpetur, Ser.mus Princeps ac Dominus, D.nus FRIDERICUS AUGUSTUS Rex et Elector Saxoniae, amore pacis ductus, regno Poloniae cedit, omniq[ue] iuri et praetentioni in Poloniā et Magnum Ducatum Lithuaniae provinciasque illis subiectas, nunc et in posterum renuntiat, Serenissimum vero Principem et Dominum, D.num STANISLAUM I, pro Rege Poloniae et Magno Duce Lithuaniae vero ac legitimo, vigore huius transactionis solenniter agnoscit et declarat. Adeo ut, neque Eo superstite, aut post fata Eius, si ipsi supervixerit, in regnum Poloniae, Magnum Ducatum Lithuaniae subiectasque illis provincias quidquam praetensurus sit.

§ 1. Conventum autem est, ut Ser.mus Rex et Elector Saxoniae nomen honoresque Regis ad dies vitae retineat, absque tamen insignibus ac titulo Regis Poloniae.

Art[iculus] IV.

Spondet insuper Ser.mus Rex et Elector, quod abdicationem hanc, solemni diplomate conscriptam, ordinibus reipublicae Polonae notam faciet ac manifestabit; quodque hoc diploma intra sex hebdomadarum spaciū, a die conclusi ac subscripti huius tractatus computandum, in manus Ser.mi Regis Sueciae tradi curabit. Quemadmodum iam et praesenti hac conventione, eosdem reipublicae Polonae ordines, universosque ac singulos Poloniae et Lithuaniae incolas, iureiurando et obsequio, quo adstricti antea fuerant, solvit ac liberat, et in iusiurandum et obsequium Ser.mi Regis STANISLAI I concedere sinit.

§ 1. Promittit quoque bona fide, se post hoc tempus nulla cum illis consilia clam aut palam agitare velle, neminem eorum, qui novi Regis imperium forte aut iam detectaverit, aut in posterum malitiose [58r] detrectare potuerit, recipere, iuvare aut protegere, nec quidquam cum iliis aliisve quibuscumque tentare aut moliri, quod huic conventioni et Serenissimo Regi STANISLAO I Reipublicaeque Polonae fraudi sit atque detrimento.

Art[iculus] V.

Pariter omnia foedera et pacta, quae cum aliis Principibus ac statibus contra Ser.mos Reges Regnaque Sueciae et Poloniae sancita habet, praesenti pacificatione abrogat et irrita declarat, in primis vero illa, quae cum Czaro Moscoviae⁷³³ contra eosdem Reges ac Regna, vel ante bellum hoc, vel durante illo, iniverat.

733 Petrus I.

§ 1. Eidem Czaro Moscoviae non modo nullas post hunc diem suppétias mittet, verum etiam omnes Saxonicae nationis, qui auxilio ipsi antehac missi sub signis Moscoviticis militant, a servitio eiusdem revocabit.

Art[iculus] VI.

Simili modo omnia decreta et statuta, quae vulgo lauda appellantur, praesertim ea, quae in Varsaviensi Senatus Consilio, in conventu Mariae-burgensi, Thorunensi, Elbingensi, Javoroviensi, Sandomiriensi, Cracoviensi, Brestensi, Olchinisensi et novissimo Grodnensi aliisque congressibus, ipsisque comitiis Lublinensibus, quatenus huic pacificationi contraria reperiantur⁷³⁴, confiscationes etiam bonorum et abrogationes dignitatum decretaque in contumaciam tribunalitia caeterorumque subselliorum, quae post diem 5/15 mensis Februarii anni MDCCIV facta sunt⁷³⁵, nunc et in aeternum abrogantur.

§ 1. Quae ab eo tempore dignitates ac beneficia, tam ecclesiastica quam saecularia, a Ser.mo Rege ac Electore in suarum partium homines collata sunt, ea rescindere aut conservare, in potestate ac arbitrio Ser.mi Regis Poloniae esto.

[58v] Art[iculus] VII.

Diademata Polonica reliquaque regni Poloniae insignia, ad cultum regalem pertinentia, ut et archiva omnia Regni, quae forte in Saxoniam asportata sunt, cum omni ornatu ac lapidibus pretiosis, Eidem Ser.mo Regi, ratihabito hoc tractatu, statim extradentur.

Art[iculus] VIII.

Ser.mi Principes Regii, Principes IACOBUS ac CONSTANTINUS, eodem tempore e custodia liberati⁷³⁶, in castris Suedicis decenti modo sistentur. Qui iusto antea diplomate cavebunt de non offendendo aut vindicando in posterum, quae tempore belli aut detentionis toleraverant.

§ 1. Serenissimus autem Rex et Elector promittit se Ser.mo Principi IACOBO, vigore dati chirographi, debitam pecuniae summam soluturum iussurumque, ut absque ulla tergiversatione ad liquidum illa ducatur.

⁷³⁴ Inter alia senatus consilium, Varsaviae 2 V 1702 celebratum, Comitia Lublinensia 19 VI-10 VII 1703 et alia, quae hostilitates contra Suecos suscipendas approbaverunt.

⁷³⁵ Cum 16 II 1704 Confoederatio Varsaviensis Augustum II regno destitutum pronuntiaverit.

⁷³⁶ Cfr. N. 14.

Art[iculus] IX.

Similiter omnes Poloni ac Lithuani, qui in Saxoniam abducti sunt, ibique vel alibi locorum, iussu Ser.mi Regis ac Electoris, captivi detinentur, cuiuscunque sortis sint ac conditionis, pristinae restituentur libertati. Promittit etiam Ser.mus Rex et Elector, se officia apud Pontificem Romanum interpositurum, ut Episcopus Posnaniensis quam primum dimittatur⁷³⁷.

Art[iculus] X.

Sic quoque omnes Sueci, qui hoc bello capti sunt et in custodia Saxonica ubicunque locorum asservantur, cuiuscunque fuerint gradus ac conditionis, ratihabitione facta, absque lytro dimittentur. Quemad[59r]modum Sacra Regia Maiestas Sueciae totidem Saxonicae nationis, et praeterea omnes belli duces ordinumque ductores, eodem tempore et absque lytro, dimissura est. Reliquos vero gregarios, haud aliter ac eos, quos suo dudum adactos habet sacramento, ad beneplacitum detinere, militiaeque suaue adscribere fas esto.

§ 1. Qui officialium utriusque partis, durante captivitate, aes alienum contraxerant, antequam liberabuntur, illud solvere, aut vadimonium praestare tenebuntur.

Art[iculus] XI.

Extradentur Sacrae Regiae Maiestati Sueciae omnes trans fugae ac proditores, qui in Saxonia reperiuntur, sive Sueci fuerint, sive ex provinciis Suedicis oriundi. Interque eos nominatim Iohannes Reinholdus Patkul, qui donec dedatur, in arcta continebitur custodia⁷³⁸.

Art[iculus] XII.

Milites praeterea Moscovitae, quotquot in Saxonia Electorali supersunt, ut captivi, in potestatem Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae tradentur.

Art[iculus] XIII

Quaecunque signa militaria, vexilla, tympana, tormenta bellica, aliaque eiusmodi reperiuntur, quae Suecis adempta sunt et tropaeorum instar esse possunt, ea omnia conquirentur et Sacrae Regiae Maiestati Sueciae absque ullo detentionis titulo restituentur.

⁷³⁷ Cfr. N. 14.

⁷³⁸ Cfr. N. 74.

[59v] Art[iculus] XIV.

Quoniam tribuno Giörtzio, quem in fidem Sacra Regia Maiestas Sueciae accepit, absenti et indicta causa, gravis supplicii nota inficta est, hac penitus abolita, pristino honori atque existimationi idem restituetur⁷³⁹.

Art[iculus] XV.

Cum propter distantiam locorum longius videatur requiri tempus antequam pacificatio haec ratihaberi ac sponsiones infra nominandae obtineri queant, Sacrae Regiae Maiestati Sueciae integrum erit copias suas per totum Electoratum eiusque provincias in hybernis collocare ibique commeatum ac stipendia pro iisdem colligere. Interea copiis Sacrae Regiae Maiestatis et Electoralis Serenitatis, quae in Saxonia remanserant, certi attribuen-di sunt districtus, quibus pro sua sustentatione tuto ac quiete frui possint. Quae vero earum in Regno Poloniae degunt, tamdiu illic sine noxa commorabantur ac sustentabuntur, et quidem in regione a Suedicis stationibus remota, donec educto e Saxonia milite Sueco, ad patrias remigrare sedes possint.

Art[iculus] XVI.

Eodem tempore urbes ac arces Cracoviensis ac Tychosinensis⁷⁴⁰, et si quae alia loca munita praesidiis Saxonici insideantur, evacuabuntur, iisque, quos Sacra Regia Maiestas Poloniae ad hoc nominaverit ac constituerit, cum tormentis cunctis et apparatu bellico, quae in illis hoc inveniuntur tempore, tradentur.

[60r] Art[iculus] XVII.

Et cum, Lipzia cum adiacente arce tradita, Viteberga quoque praesidium recipiat Suedicum, quoad leges huius foederis impletiae fuerint et executioni datae, conventum est ut, iis impletis ac executioni datis, urbes hae atque arces, praesidio Suedico liberatae, in priorem statum integre restituantur et exercitus Suedicus ad certam diem finibus exeat Saxonie.

Art[iculus] XVIII.

Cessabunt autem omnes hostilitates in Saxonia et provinciis electoralibus, induciaeque in earum locum succedent et bona fide servabuntur ab eo die, quo foedus hoc a constitutis utriusque partis paciscentium Commis-

⁷³⁹ Georgius Henricus a Görtz, minister Holsatiensis - Gotorpiensis, consiliarius Caroli XII. Cum tamen natione Danus fuerit (in Holsatia natus), in possessionibus hereditariis omni auctoritate carebat.

⁷⁴⁰ Tykocin in Podlachia.

sariis conclusum fuerit ac signatum, in Polonia vero ac Lithuania quamprimum notitia factae pacis ad exercitus utriusque partis pervenire possit. Ad quam perferendam 21 dierum spatum utrinque constituitur.

Art[iculus] XIX.

Inter Ser.mum Regem Sueciae et Ser.mum Regem et Electorem Saxoniae peculiari hoc pacto transactum est, ut ambo, tanquam membra Imperii Romano-Germanici, Religionem, pace Vestphalica stabilitam, firmiter tueantur, inque caeteris Imperii negotiis consilia iungant socientque. Et quo ordines incolaeque Saxoniae et Lusatiae de illibato Religionis Evangelicae usu reddantur confirmatiores ad instantiam Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, tanquam sponsoris eiusdem pacis, promittit Sacra Regia Maiestas et Electoralis Serenitas pro se suisque posteris Electoribus Saxoniae, nullam unquam Reli[60v]gionis Evangelicae mutationem in dictis regionibus admittendam aut introducendam, neque permittendum, ut templa, scholae, academiae, collegia vel monasteria, aut loca ad ea extruenda pontificiae religionis hominibus inibi nunc aut in posterum concedantur.

Art[iculus] XX.

Quod si Ser.mus Rex ac Elector Saxoniae ob foedus hoc a Czaro Moscoviae aut alio quopiam, bello impetatur, Ser.mi Reges Sueciae ac Poloniae eidem contra vim aggressoris auxilio esse volunt.

§ 1. Spondent pariter, cum eo deventum fuerit, ut pax cum Czaro Moscoviae restauranda sit, in ea pacificatione rationem Ser.mi Regis ac Electoris esse habendam, ut in iis, quae iure postulaverit, aequa contingat satisfactio.

Art[iculus] XXI.

Quae hoc tractatu ita constituta, promissa ac transacta sunt, non tantum Ser.mi Reges ac Principes paciscentes inviolabiliter ac sancte pro se quisque observabunt, bonaque fide et exacte implebunt, in omnibus clausulis et foederis huius articulis, sed etiam, ut haec pax eo firmior ac stabilior sit, in se recipit Ser.mus Rex et Elector Saxoniae, quod earum conventuum, quae hoc tractatu continentur, fideiussionem a Ser.mo ac Potentissimo Imperatore Romano⁷⁴¹, a Ser.ma ac Potentissima Regina Magnae Britanniae⁷⁴², ut et Celsis ac Praepotentibus Ordinibus Generalibus foederati Belgii, expetere velit et intra semestre spacium, a die subscriptionis numerandum, iusta ac solenni formula conscriptam extradere. Sacrae Regiae

⁷⁴¹ Iosephus I.

⁷⁴² Anna († 1714), filia Friderici III regis Daniae, regina ab a. 1702.

Maie[61r]stati Sueciae quoque licebit, ultra memoratas potestates, plures huius tractatus fideiussores, si placuerit, suscipere ac adsciscere.

Art[iculus] XXII.

Denique haec pacificatio, cuius bina instrumenta confecta sunt, intra sex hebdomadas a die subscriptionis computandas, optima formula a singulis paciscentium ratihabebitur. Exemplaria autem, quae ratihabebuntur, a parte Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae et Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, singula; a parte vero Sacrae Regiae Maiestatis et Electoralis Serenitatis bina conficienda, quae statuto die ac loco intra praefatum tempus per utriusque partis Commissarios commutabuntur.

In quorum omnium fidem nos supranominati Commissarii, plena potestate ac mandatis instructi, instrumentum geminum, eiusdem tenoris utrumque, manibus ac sigillis nostris signavimus ac corroboravimus. Quod factum est in pago Alt-Rannsteda, die 14/24 Septembris, Anno supra millesimum septingentesimo et sexto.

(Locus Sigilli) C[arolus] Piper (Locus Sigilli) Antonius Albertus
Liber Baro de Imhoff

(Locus Sigilli) O[laus] Hermelin (Locus Sigilli) Georgius Ernestus
Pfingsten

[61v] Articulus separatus

Quamquam Ser.mus Princeps D.nus FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex et Elector Saxoniae, articulo ipsius foederis vigesimo et primo promiserat se fideiussiones ibi nominatas intra semestre spaciū acquirere velle atque exhibere, si tamen contingat, certas ob causas, unam alteramque non posse obtineri, aut earum traditionem ultra praefatum tempus differri, convenientum est, ut foedus ipsum nihilominus in vigore suo permaneat, nec propter ea eius validitati quidquam detractum esse existimetur.

Huic articulo nos initio huius foederis nominati Commissarii, eandem vim ac robur tribuimus ac si ipsius foederis tabulis insertus esset, eundemque intra tempus, tractatu ipso expressum, ratihabitum iri spondemus. Insuper duo exemplaria pari tenore confecta subscriptsimus. Sigillisque nostris munivimus.

Actum in pago Alt-Ransteda ad Lipsiam die XIV/XXIV Septembris,
 anni Millesimi septingentesimi ac sexti.

(Locus Sigilli) C. Piper.

(Locus Sigilli)

Antonius Albertus
Liber Baro de Imhoff.

(Locus Sigilli) O. Hermelin.

(Locus Sigilli)

Georgius Ernestus
Pfingsten.

A. 2.

**Augustus II, rex Poloniae
universis**

Petricoviae, 20 X 1706.

*Notam facit abdicationem suam in favorem Stanislai Leszczyński factam,
Altranstandiae die 14 IX 1706 a. subscriptam, et subditos suos in Regno Polo-
niae et Magno Ducatu Lithuaniae, iureiurando sibi hactenus obstrictos, eodem
iureiurando absolvit et liberat.*

Cop.: AV, Nunz.Pol. 132 f. 61r-v manu secretarii nuntii (annexum ad N. 146).

Nos, Augustus Secundus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. Notum facimus et profitemur, ex quo Corona Regni Poloniae Nobis praevia legitima Electione imposita fuit, regimenque Regni et Magni Ducatus Lithuaniae suscepimus, variae dissensiones et celeres motus animorum curam pro Republica susceptam interturbaverant, et cum deinde bello cum Ser.mo ac Potentissimo Principe D.no Carolo XII, Suecorum, Gothorum Vandorumque Rege, Magno Principe Finlandiae etc., implicaremur, quod per septem annos continuatum est, multifariae scissiones subortae sunt, quae postquam simul in actiones et intestina proelia transierant et tandem proruperant, ut ab una parte Procerum ad novam Electionem processum fuerit, et divisione hac saeviente animorum estu, facile ad destructionem totius Regni veniri possit, nisi in tempore eidem occurratur, altius itaque funesta belli incendia nobiscum reputantes, non alium quietis et foelioris fortunae modum viamque potuimus reperire, quam pacem et unitatem inter Proceres et Regni Incolas, etiam cum remissione Iuris Nostri, reintegrandam.

Idcirco, annuente Numinis Dei benignitate, cum Ser.mo et Potentissimo Rege Sueciae, Fratre, Consanguineo et Amico N.ro Charissimo, pacis cogitationes inivimus et in mutuas Concordiae Leges inter Nos Suamque Maiestatem in Pago Altranszeda die 14 Septembris conventas consensimus, ubi,

inter alias, pro radice exitialis belli ac inimicitiae penitus extirpanda Nobis, sincero Pacis studio incitatis, placuit Regno cedere, omnique iuri et praeten-sionibus in Poloniam et Magnum Ducatum Lithua[61v]niae, Provinciasque illis subiectas, nunc et in posterum renunciare, Serenissimum vero Princi-pem D.num Stanislaum Primum pro Rege Poloniae et Magno Duce Lithuaniae vero et legitimo agnoscere, insimulque Ordinibus Reipublicae Poloniae abdicationem hanc solemni diplomate notam facere et manifestare, nec non eosdem ab omni obsequio et nexu, quo Nobis, utpote Regi Poloniae et Magno Duci Lithuaniae, obnoxii fuerunt, liberos pronuntiare ac expertes. Id quod etiam hoc ipso instrumento et spontaneo et liberrimo cordis Nostri motu expeditimus et non modo memoratum Ser.mum et Potentissimum D.num Stanislaum Primum pro Rege Poloniae et Magno Duce Lithuaniae vero et legitimo solemniter agnoscimus ed quidquid iuris in hoc Regnum, Magnum Ducatum Lithuaniae ex Nostra Electione et pactis conventis habuimus aut habere debuimus, vigore huius diplomaticis resignamus et abdicamus, ple-narie et sine ulla reservatione, adeo ut neque Eo superstite, neque post fata Eius, si Nos supervixerimus, in Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Li-thuaniae subiectasque illis Provincias quidquam praetensuri aut postulatu-ri simus. Ordines vero Regni et Magni Ducatus una cum Subditis et Incolis iureiurando et obsequio, quo Nobis antea obstricti fuerant, solvimus ac libe-ramus, et in obsequium et iusiurandum Ser.mi Regis Stanislai Primi conce-dere sinimus.

In quorum maius robur praesens abdicationis, resignationis et remis-sionis instrumentum manu sigilloque proprio Regio munivimus et firmavi-mus, Ser.moque Regi Sueciae ad modum conventum extradidimus. Datum Petricoviae, die 20 Mensis Octobris, anno a Reparata Salute 1706.

A. 3.

**Augustus II, rex Poloniae
universis**

Varsaviae, 19 XI 1706.

Nuntiat rumores de abdicatione sua sparsos falsos et ficticios esse, eiusque rei culpam in inimicos suos, praesertim in Stanislaum Leszczyński, con-fert.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 131 f. 715r-v manu secretarii Iulii Piazza (annexum ad N.70).

Copia Manifesti Regis Poloniae, quod per Regnum Poloniae Latino et Polonico Idiomate publicatum est.

Quanquam calumniosum scriptum, quod Honori Nostro et Dignitati Regiae praeiudiciosum per turbulentos et foelicitati Nostrae invidos homines factum spargitur, tanquam per Nostros et Regis Sueciae Commissarios, si-
cut et Nostri infidelis Stanislai Lezinsky⁷⁴³, qui non sine laesione Maiestatis Regium Titulum acceptavit, tractatum conclussemus et foedus inivis-
semus et hoc ratum habuissemus ac approbassemus, tamen non dubitamus quin quivis, cui hoc innotuit, sibi facile persuaserit hanc per Imperium spar-
sam famam mere fictitiam et calumniosam esse.

Ne autem contrarium sententia capita et adversus Nostram Maiestatem conceptum odium per eiusmodi dolum Eos, quibus acta Nostra perspec-
ta sunt, in cogitationes sinistras inclinent, ac una ab innata erga Reges Suos fidelitate avertere queant, Nos quamprimum de antememorato scripto calumnioso et facta inaudita renunciatione Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, similiter etiam eo pertinentium Provinciarum et quasi talis re-
nunciatio, contra omnem rationem et decentiam a nobis acceptata, subscrip-
ta et sigillo N.ro roborata foret, certiores facti sumus, hoc quamprimum Sta-
tibus N.ri Senatus ac Equestri Ordinis, item omnibus Regni Poloniae et Du-
catus Magni Lithuaniae Incolis notum et manifestum facere debuimus.

Facimus etiam hoc ipso manifestum, quod nihil simile cum Rege Sue-
ciae, aut alio facere intenderimus, neque talia pacta, quae Reipublicae et N.
ro honori contrariantur, concluserimus. [715v] Verum haec omnia tanquam contumeliosa N.rae Regiae Maiestati declaramus, protestantes idcirco etiam contra solemnissime coram Republica et toto Mundo, et vovemus,
quod Nos semel agnitam et acceptam Romanae Fidei Professionem usque ad finem vitae sancte observare, atque omne id, quod humanae incoluminati salutare est, non tantum in Nostris Dominiis, sed etiam, si possibile, per Provincias integras propagare, similiter N.ri Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae communes Leges et Libertates, pariter nova pacta, quae tam sancte iuravimus, inviolata servare velimus ac debeamus. Et sicut unanimi Incolarum Regni huius consensu ac votis ad Thronum hunc evecti ac Corona Regia decorati sumus, ita volumus pro concordi unione, pace, quiete, etiam libertatibus omnibus Reipublicae et Magni Ducatus Lithuaniae, vitam et sanguinem immolare, quod ipsum hocce contestamur et vovemus. Vivimus vicissim certa spe freti omnes et singulos contra Nostram contestationem et bonum Reipublicae nihil tentatueros, neque quod asseruimus suspectum habitueros, sed omni affectu et amore excepturos.

In horum robur praesens Manifestum nostra manu subscrisimus et consueto sigillo regio munivimus. Datum Warsaviae, 19 Novembris 1706.

⁷⁴³ Leszczyński.

A. 4.

**Stanislaus Szembek, primas Poloniae
universis**

Cracoviae, 22 XII 1706.

Conventum statuum et ordinum Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae ad diem 7 Februarii a. 1707 Leopoli indicit, ut de rebus Reipublicae inopinata Augusti II abdicatione innovatis deliberent.

Cop.: AV, F. Albani 194 f. 273r-274v, manu secretarii nuntii (annexum ad N. 92). Copia originalis, lingua Polonica exarati, invenitur Cracoviae, BJ Przyb. 184/51, p. 539-540.

Stanislaus in Slup[o]w Szembek, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniae et M[agni] D[ucatus] Lithuaniae Primas, Primusque Princeps.

Universis et singulis, quorum horum notitia interest, praecipue Excellentissimis, Illustrissimis, Reverendissimis, Magnificis, Generosis Dominis Senatoribus, Dignitariis, Officialibus et Omnibus Ordinibus, Statibus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, Dominis meis et Fratribus, cum exhibitione fraternaliae benevolentiae meorumque obsequiorum ad notitiam defero: Hucusque, propter susceptum publicum obsequium, salvando ab aestu belli et flammarum quicquid pretiosi potuit habere Patria, per varios casus, per multa discrimina, in variis locis, aliquando in solitudine incognitus, et quasi cognitus, ubique tamen in amaritudine consumebam in taedio dies et momenta mea, considerando praesentia et contemplando futura, placabam Maiestatem Divinam pro impetranda felicitate publica. Et posteaquam non ita pridem dextera Domini disposuit Nobis palmas et trophea, cum manifesta et ingenti fortitudine Suae Regiae Maiestatis, cum singulari heroica resolutione Excellentissimorum Dominorum Ducum Regni et totius Exercitus Reipublicae atque unanimis assistentiae et notabilis subsidii militum colligatorum et auxiliariorum⁷⁴⁴, coepi erigi in spem vivam ulteriorum et insimul meliorum in Patria progressum. Et ecce insperatus Suae Regiae Maiestatis egressus extra Regnum, sine scitu et consensu Reipublicae, immutat scenam integrum, [273v] contrahit laetitiam et omnes spes confundit. Stupefacti nimis remansimus, ultra modum turbati sumus et, prout nunquam ante, ita nunc tristari cogimur. Et, quod maius, dum non tantum egressus regius ultra limites, adeo improvisus et nunquam speratus, attonitos tenet, percusos terret et supra hoc inauditus et nunquam visus pro-

⁷⁴⁴ Victoriam apud Calissiam die 29 X 1706 reportatam in mente habet.

mulgati in Saxonia, absque notitia Reipublicae, per Plenipotentiarios exoticos, conclusi cum Ser.mo Rege Sueciae Tractatus partus, quasi cum abdicatione Regni ac cum aliis, ad credendum quasi impossibilibus, condicionibus in publicum exit⁷⁴⁵. Iam non tantum terror, sed et horror movet animum, et monet deserere solitudinem, relinquere ultra fines Regni molestam quietem, atque integro animo et affectu progredi ad omnem substinentem, utinam cum Dei adiutorio foeliciter, muneris Primalis obligationem. Non erubesco confiteri, non solum coram Polono, sed et Universo Orbe, debilitatem virium mearum ad tam grave onus, et praesertim sub id tempus adeo durum et infelix. Verumtamen celare non possum singularem Dei vocacionem, nec subtrahere sinceram, accuratam, absque ullo interesse, solam prae oculis Religionem Sanctam et Patriae amorem legum, libertatum et illius praerogativarum pro obiecto habentem meam promptitudinem.

Hinc, assumpta in auxilium dextera Dei Omnipotentis, qui dum indignos vocat, vocando dignos facit, et qui ad Primatum et [274r] Principatum universalis Ecclesiae elegit potius Petrum, non Ioannem, quia senior erat, compareo in statione mea et specificata iam nova emergentia his universalibus literis Excellentissimis, Illustrissimis, Reverendissimis, Magnificis, Generosis Dominationibus Vestris defero, quatenus efficacia salutis publicae media apprehendant, perpendendo, utrum id, quod ad Nos pervenit, sit fallax fama vel ipsam rei veritas. Et quoniam in talibus circumstantiis non potest aliter Respublica saluti suae providere, nisi praesenti consilio, occurrendo, ne quid maioris detimenti capiat, hucusque penes Maiestatem Regis Augusti II unanimiter cum vita et fortunis persistens, inhaerendo Legibus, Constitutionibus et Consuetudinibus, ubi absente vel non existente Maiestate interest mihi convocare Ordines Reipublicae ac de integritate illius cum iis consulere, post praemissam cum Excellentissimis Dominis Senatoribus, similiter cum Ill.mo D.no Stanislaw Denhoff, Ensifero Regni, Marescallo Generali Ordinum Reipublicae (cuius summas dotes et ipsum robur infractum et imperterritum comprobati toties pro bono publico et conservatione Legum Patriae zeli supra quaevis praeconia magis commendat), visum mihi est constituere et designare Generalem Congressum Ordinum Reipublicae, prout de facto pro die septima Mensis Februarii, in anno Deo volente futuro 1707 Leopoli, prout ob securitatem a quibusvis insultibus, ita etiam ob praesentium ad Tribunal Thesauri confluxum, constituo et decerno.

Ad quem quatenus Excell.mae, Ill.mae, Rev.mae Dominationes V.rae ex Palatinatibus, Terris et Districtibus, non solum in fundamento Generalis Confoederationis et Comitiorum Lublinensium functiones Deputatorum substinentes, sed insuper quemcumque ardor [274v] conservationis Legum et Libertatum, Sanguine Antecessorum acquisitarum, excitabit, cui denique

⁷⁴⁵ Cfr. A.1.

cara, licet infelix, Patria sub eodem nexu confoederationis circa libertates, minime ab ea recedendo, numerosi compareant et ad commune Patriae currant auxilium, per amorem Eiusdem, iam iam ad ruinam inclinatae, invito et obtestor, quatenus sic in unam compagem verae, integrae et indivisae Reipublicae congregati, ostendamus tam domesticis quam extraneis, quid et quantum concordia, quid unio animorum valeat et sciatur, adeoque ita coadunati, quantum fieri potest, perfectissima ad firmamentum publicae integritatis, ad conservationem Legum et Libertatum Nostrarum, praecipue liberae electionis, efficacia possimus constituere media.

Redibit, Deo adiuvante, hoc medio ad pristinam salutem conquassata tot publicis malis Respublica et collapsa inter hos turbines decora illius, ceu e mediis consurgent lilia spinis, modo tamen in perfecta unione, unum sentire, unum velle, in concursum consiliorum et virium ad defensionem boni publici arripiamus. Ad quod obtainendum, prout Deo Exercituum supplices offerre preces non desinam, ita numerosissimum Ex.marum, Ill.marum, Rev. marum Dominationum V.rarum ad nominatum supra tempus, locum, sperando congressum, universales has literas, pro maiori fide et pondere manu propria subscriptas et sigillo firmatas, per Castra et Parochiales Ecclesias, iuxta morem, promulgare committo. Actum Cracoviae, die 22 Decembris 1706.

A. 5.

**Stanislaus Denhoff,
marescalcus Confoederationis Sandomiriensis
universis**

Cracoviae, 3 I 1707.

Tanquam marescalcus confoederationis Sandomiriensis, quae Stanislai Leszczyński ad regnum evectioni adversatur, probat consilium primatis ordinis Reipublicae ad diem 7 Februarii Leopolim convocandi.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 132 f. 43r-44r manu secretarii nuntii.(annexum ad N. 132).

Stanislaus Comes Denhoff, Ensifer Regni, Mareschalcus Confoederationis Generalis, Exercituum Sacrae Regiae Maiestatis et Reipublicae Generallissimus, Neoconzynensis⁷⁴⁶, Koscierszynensis⁷⁴⁷ etc. etc. Capitaneus.

⁷⁴⁶ Nowy Korczyn (Nova Civitas Korczyn), oppidum in Polonia Minore.

⁷⁴⁷ Kościerzyna, oppidum in Pomerania.

Universis et singulis, quorum interest, signanter tamen Illustrissimis, Perillustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus, Dignitariis, Officialibus et toti Equestri Ordini, tam Regni Poloniae, quam etiam Magni Ducatus Lithuaniae, meis Patronis et Confratribus, cum contestatione submissionis meae ad notitiam defero:

Post tam multos in hac Patria, luctante et alternante fortuna congressus, quos propitiis vel iniquis Fatis per violentos Reipublicae insultus absolvere aut sustinere contigit, dum ex ordinatione Divina, aliquali unioni et combinationi Respublica restituta, non pridem ingentibus ausis et incomparabili Illustrissimorum Ducum Regni sagacitate et totius Equestris Ordinis dexteritate, tum etiam singulari succursu et assistentia auxiliarium copiarum ab infoelici sorte sua elevari et emergere coepit⁷⁴⁸, sic omnibus Nobis, de Republica recte sentientibus, visum fuit, quod etiam tandem in decursu huius anni, anni confusionis, terminari deberent, et in illorum locum anni compositae Reipublicae florentis Domus succedere, et quod ter Optimus Deus, qui Nos hucusque in virga ferrea iustae Irae et Poenae sui sustinebat, eadem virga in favum mellis transmutata, ad meliorem ac desideratam orbitam res nostras reducere et redigere dignatus fuerit.

Et ecce uno nesciens stare loco Fortuna novam, nec unquam speratam, revolutionem, [43v] iam bene ordinatam confudit salutis publicae compagm, quando Sacra Regia Maiestas, Dominus noster Clemenstissimus⁷⁴⁹, insperato prius, inscia Republica, extra limites discessu et ex post fama publica sparsa de Tractatu concluso in Saxonia⁷⁵⁰ rumore, conditionibus praetudicosisissimis Immunitati Legum et Libertatum nostrarum corda omnium nostrum perstrinxit. Qui quidem Tractatus licet subdubitem vocari possit, nam nulla solemnitate nec authentico proclamatus documento, attamen in tam repentina adversus Rempublicam occasione, in tam plena periculi et fatalium consequentiarum conjectura, non licet tranquilliter explicationem Fatorum expectare, nec complexas tenuisse manus, ac si iam nullam in Nobis ad fortia agenda similitudinem sentiremus, ultimum dumtaxat agonem agendo, imo destituentes nos spiritus vitales in generosa recolligendo corda, obluctantibus Fatis generosos conatus opponere expedit.

Proinde, quoniam pro gloria et iuvamine Patriae laudabili in postera saecula exemplo uniti status Reipublicae per Generalem Confoederationem Sandomiriensem ab eadem non dissolvi hucusque se obstrinxerunt, donec hoc Reipublicae corpus, per infoelices scissiones ac dissensiones sparsum et divisum, in unitate iuvari, defendi et pacificari, ab extra et ab intra, valeat, secus studiis et partibus divisum peritrum, propterea conspicio e specula huius, cui me gratia, mandata et suffragia Dominationum Vestrarum praefecerunt, functionis, quod derelicta ab omnibus Reipublicae figura aliter

⁷⁴⁸ Victoria ad Calissiam reportata.

⁷⁴⁹ Augustus II.

⁷⁵⁰ Sermo est de tractatu Altranstadiensi.

non potest discordantibus formidabile sui repraesentare obiectum, solummodo in manutentione praenominatae obligationis Confoederationis nostrae praevidento, nullum posse dari praesentius salvandi medium, quam in generosissimis sensibus Dominationum V.rarum, in concordibus et salubribus eorundem consiliis, in fidelibus Patriae et zelo erga eandem [44r] flagrantibus pectoribus, in liberis, nec ulla dependentia impediendis vocibus.

Hae igitur decidunt de Fatis nostris. Hae viam salutis elegant. Do campum exercendis studiis Dominationibus V.ris de bono communis consilio cum Celsissimo Principe Primate Regni, curae et sollicitudines cuius sui magnitudine loquuntur, ac ideo omnem excedunt expressionem⁷⁵¹. Vigore functionis Mareschalcalis, de concessa Personae meae a statibus Reipublicae convocandi generali potestate, de praesente rerum statu V.ras Dominationes certiores facio et terminum generalis consultationis et congressus pro die septima Februarii Leopoli assigno. Obligationes et stimulos ad sublevacionem lapsorum non addo, quia haec moles calamitatum premens ab una parte, ab altera reluctans, omnium Dominationum V.rarum generositati suppeditabunt et facile per se persuadere poterunt, quod numerosissimi in auxilium Patriae, tanquam ad incendiariam campanam, convenire dignabuntur. Super quo flagrantissime insto et amore publico obligo, mihi autem hoc pro inviolabili regula et imperfracta lege propono, quod existens filius oboedientiae fidelisque Dominationum V.rarum mandatorum executor, omnimoda applicatione conatus, studia et vitae meae reliquias post tot sacrificia fortunae impendere obsequiis Reipublicae debeo et libenter paratus sum.

Quae universales litterae, ut quantocius ad publicam deveniant notitiam, eosdem per Parochias et Castra publicare permitto et pro meliori fide manu propria, cum appositione sigilli mei, subscribo. Datum Cracoviae, 3 Ianuarii 1707.

A. 6.

**Petrus I, imperator Russiae
Stanislao Szembek, primati Poloniae**

Żółkiew, 27 I 1707.

Contra regem Suetiae aggressorem communibus viribus pugnandum esse affirmat et promittit se ad liberam regis Poloniae electionem peragendam et ad pacem Reipublicae restaurandam opera sua esse adiuturum.

⁷⁵¹ Cfr. A. 3.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 132 f. 197r-198r manu secretarii nuntii. (annexum ad N. 265).

Nos, Dei gratia Czar et Magnus Princeps Petrus Alexyewicz totius Parvae et Magnae, Albae Russiae Dominus, Celsissimo Principi D.no Archiepiscopo Gnesnensi, Primati Ser.me Reipublicae Utriusque Gentis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, tum Ill.mis, Illustribus, Magnificis, Generosis Dominis Senatoribus, Spiritualibus et Saecularibus, Dignitariis, Officialibus et Universis Statibus utriusque gentis Regni et Magni Ducatus Lithuaniae, nostram Czaream precamur salutem.

Audientes de Congressu Illustratum Vestrarum pro consilio magno Leopolis⁷⁵² non solum ex hac vicinia, in qua ad praesens reperimur, verum etiam ex obligatione foederatae amicitiae sinceram Nostram erga Rempublicam testamur promptitudinem, exoptando, ut Illustrates Vestrae in concilio praesenti ea omnia, quae ad manutentionem foederis Nobiscum initii, ad conservationem mutuorum negotiorum, ad salutem Iurium ac Libertatum vestrarum, potissimum intuitu liberae Electionis Regis sui, ad firmandas vires in defensionem publicam possunt esse necessaria, adversus communem hostem Regem Sueciae unanimiter prospiciant, non curando quidquam, minus malitiam et factiones hostiles, quibus plura Rex Sueciae quam viribus per adhaerentes suos notorias et occultas fraudes lucratur, cupiens tam latum et fertile Regnum primo in thesauris et splendoribus, demum in viribus et Exercitibus ruinare, tandem Avi sui conatu praeterito bello [197v] observato⁷⁵³, sub suum subiugare dominium Nostrum. Huius documentum est fraudulentus Varsaviensis Tractatus⁷⁵⁴, tot laqueos, quot articulos in ruinam et subiugationem Reipublicae in se continens.

Et quia eiusmodi conatus Regis Sueciae non solum ultimum Reipublicae interitum, verum etiam Dominis vicinis summum periculum ac praeiudicium vel per mutationem status et inversionem eius, vel per violentam impositionem ad Thronum indebiti Regis inferre potest, igitur nemo miretur, neque sinistre iudicet, quod Nos passim ex nexu vicinae amicitiae, passim ab interesse manutentionis perpetuae Pacis inter Nos ac Rempublicam tenemur interesse Vestrum et conservationem iurium eorum, ita prout bonum Nostrum, curam tueri ac defendere, neque permittere, quod Respublica aliquando succumbat in Legibus et consuetudinibus suis. Hinc haec omnia Illustritatibus Vestris in consilio congregatis deferendum esse duximus easque certas reddimus Nos non alia intentione ac fine cum Exercitibus in hoc Regno manere, nisi ut satisfaciendo inito foederi mutuis viribus Regem Sue-

⁷⁵² Sermo est de congressu senatorum et nobilium 7 II 1707 Leopoli, in quo electio novi regis deliberari et concordari debebat.

⁷⁵³ Carolus X Gustavus (1622-1660), rex Suetiae ab a. 1654.

⁷⁵⁴ Agitur de tractatu Varsaviensi, die 19 XI 1705 inter Carolum XII regem Sueciae et Stanislaum Leszczyński inito, cfr. N. 256.

iae ad bonam ac firmam Pacem adigamus, vel e finibus Reipublicae expellamus, simulque integritatem liberae Electionis Regis Poloniae in antiquo statu ac libertate manuteneamus, nullam aliam recompensam pro hoc praetendentes praeterquam veram vicinam Reipublicae amicitiam, imo quidquid ex parte nostra tam in tractatu quam in Universalibus ac Responsis Nostris publicis ac privatis super [198r] puncta et desideria Reipublicae a Nobis et Ministris Nostris promissum est, totum id exequi ac in omnibus satisfacere, praesertim intuitu evacuationis fortalitiorum Ukrainianium per Paleium Rebellem⁷⁵⁵ ademptorum, et exolutionis promissorum Exercitui Regni Magnique Ducatus Lithuaniae millionum declaramus.

Insuper certas reddimus Illustrates Vestras, quod omnem securitatem ab hominibus vestris euntibus et redeuntibus ex hoc Consilio caveamus, ac simul omnem libertatem consulendi pro libitu proprio Illustratibus Vestris relinquimus, ut haec quicunque videant pro commodo Reipublicae, pro salute mutuorum negotiorum, maxime vero pro manutentione Iurium ac Libertatum suarum, praesertim liberae Electionis, opportune fieri. Quod foederata benevolentia et propensione Illustratibus Vestris exoptando in reliquis Nos ad Legatum Nostrum Principem Dalhoruki⁷⁵⁶ referimus ac simul prosperrimos successus et optimam a Deo precamur valetudinem. Datum Zulkioviae, die 27 Januarii 1707.

Petrus Czar

⁷⁵⁵ Cum sedatio Simeonis Palej, annis 1702-1704 in Ucraina excitata, infelicem habuerit exitum, Polonia spem recuperandae Ucrainae ad dexteram Borysthenis oram iacentis perdidit.

⁷⁵⁶ Basilius Dolgorukij († 1746), legatus publicus Moscovita.

